

4) in locis, ubi aderat clerus saecularis et episcopus, sed non in sufficienti copia, ut neoconversis provideri potuisse;

5) in locis, ubi ex consensu, beneplacito vel juxta pacta cum sacerdotibus inibi habitantibus hoc officium obibant.

2. De curae pastoralis conspectu et de parochiarum franciscalium natura

Antequam inquisitionem nostram de munere pastorali Franciscanorum sub dominio othomano prosequamur, non absque utilitate erit retrospiciendo brevem *conspectum* propicere ad imaginem *curae pastoralis* eorum in Croaticis regionibus sub hac prima periodo activitatis atque exinde de *natura parochiarum* franciscalium considerationem instituendo etiam quasdam difficultates resolvere. Prae oculis tenemus intervallum temporis ab erectione Vicariae Bosnae a. 1339 usque ad annum 1463, interitum scilicet regni Bosnae, idque praecipue Bosnam, quae solis Franciscanis in spiritualem curam, aliis exclusis, commissa erat.

In hac gloria epocha independentiae nationalis in Bosna sub banis et regibus, quamquam terra haeresi infecta erat, nihilominus aliqualis libertas religiosa erat, curae pastorali, inquisitioni etiam sub protectione principum atque errantium conversioni vacari poterat. In hujusmodi officiis laborabant episcopi bosnenses, clerus saecularis et Franciscani.

Quamvis de episcoporum labore et sudore nullam fere notitiam ex saeculis XIV et XV habeamus, quique contra saepius in curia regis Hungariae occurrunt, tamen concludere non possumus eos in Bosna vel pro catholicis Bosnae nihil egisse. Non possumus vel ex ea tantum ratione, quia documenta archivorum deperdita sunt, quae forsitan aliter nos instruerent. Praeterea, in decimaru[m] collectione sane non insisterent, uti casus de a. 1344 fert,⁵⁰ nisi aliquid pro eodem laborassent vel saltem auctoritas eorum sentiretur. Deinde certo constat, quod ipsi deputabant ad parochias et instituebant singulos plebanos et rectores

⁵⁰ Mon. Slav. Mer. I, 213 n. 278.